



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

16. Vidualis castitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

irata, & veniam delicti, & accepti beneficij gratiam ore identidem volutavit. Mox etiam eidem Dei Matri sese obtulit, atque in eius oculis manibusque ipsi sese Deo per triplex votum obfrinxit. Primum erat castitatis aeternae: alterum de omni aereo sericoque corporis ornatu abdicando: tertium de vitando omni consortio conuentuque profano. Neque hic cessavit diuini odoris flamma; sed in grandes illas victorias, in admiranda opera pietatis, mortificationis, misericordiae; denique in alia tria Religionis vota erupit. Insuper impetrauit, vt omnes illius liberi monasteria ingrederentur; atque ipsa quoque fundatrix existeret nouae religionis *Annunciatae Virgini* dedicatae, dictaeque *Celestinarum*, quae candidae togae caeruleum pallium iniiciunt, vt, in castissimi animi puritate, caelestem seruent conuersationem. Itaque vidua haec, in coniugio, sex filiorum, in viduitate plurimarum Deo dicatarum virginum mater fuit. Sed longum esset cetera percensere; cum de illius integerrima sanctissimaque vita, tres libri non ita pridem in lucem sunt editi. Nobis satis est hinc discere, quam salutare sit, colere Dei Matrem, Matrem misericordiae & consolationis, quantumque bonae cogitationis occasionem praebet illius imago, in cubiculo parieti appensa. Nullam eiusmodi consolationem, sed magnorum criminum ansam habent, qui ibi, loco iconis sacrae, Leda, & Cygnos; & Dianae in Actaeonem aquam spargentes; & Paridis iudicia; & mille Cupidinum propudia, aliaque nefandas libidinum illecebras, velut in ara venerandas, appendunt. Sed & illud in primis est obseruandum, bonos quoque coniuges, diuino consilio, separari morte, atque in magnos luctus conijci, vt solatium non iam à compare, sed à Numine petere discant, atque ad res longè maiores excitentur.

## XVI.

Ante omnia tamen ex hac vidua ( de cuius virtute & vita alius erit dicendi locus ) atque alijs huc vsque commemoratis laudatisque, videmus, quam sanctus sit status viduitatis, quem SS. PP. tanti fecerunt, vt integros de eo libros scripserint, vel certè epistolas libris comparandas: nimirum Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Fulgentius, & Tertullianus, qui etsi in eam haeresin lapsus sit, vt solam *monogamiam* Christianis esse licitam

S. Ambros. l.  
de Viduis. S.  
Hieron. ep.  
ad Saluinam.  
ad Furiam, ad

ficitam voluerit, multa tamen rectè etiam scripsit de *omnitate* & commendatione viduarum. Cuius & illud est: *Virginitas, & viduitas, & modesta in occulto matrimonij dissimulatio, de bonis carnis Deo adolentur.* Vbi ad centesimum, sexagesimum & tricesimum fructum alludit. Nam *docemur*, inquit S. Ambrosius, *triplicem castitatis esse virtutem. Vnam coniugalem, aliam viduitatis, tertiam virginitatis. Non enim aliam sic predicamus, ut excludamus alias. Suis quibusque professionibus ista conducunt. In hoc Ecclesia opulens disciplina: quòd quos preferat habet, quos rejiciat non habet, atque utinam nunquam habere possit. Ita igitur virginitatem predicamus, ut viduas non rejiciamus: ita viduas honoramus, ut suis honos coniugio reseruetur. Non nostra hoc precepta, sed divina testimonia docent.*

Ob has aliasque complures causas, post S. Paulum SS. PP. consuluerunt, non præceperunt, ne viduæ ad secundas nuptias procederent. *Neque enim Eva secundum accepit virum, neque sancta Ecclesia secundum agnovit virum*, ait S. Ambrosius, cuius & hæc sunt. *Sed fortasse aliquibus propter suscipiendos liberos coniugia iteranda videantur? Quod si filiorum studium causa nubendi est, utique ubi est fructus filiorum, causa non suppetit. Quanquam cuius consilij sit, iterum experiri velle frustra tentata fecunditatem, aut subire, quam perculeris orbitatem? Hæc enim iterandi causa est filios non habentibus. Ergo illa que liberos suscepit, & perdidit (cum ipsa enim maior contentio, qua spem generandi habet) illa, inquam, nonne sibi videtur, inter ipsa repetitarum fœdera nuptiarum amissorum prætere funera filiorum? Nonne iterum passura, quod reperit, & ad ipsos votorum tumulos exceptarum orbitatum imagines lamentorum strepitus perhorrescit? Cur igitur, filia, dolores magis, quos times, repetis, quam filios, quos iam non speras, requiris? Si gravis est dolor, subterfugienda causa eius est, non petenda. Nam tibi quid consilij tribuam? qua liberos habes? Qua tibi causa nubendi? nisi forte leuitatis error, & intemperantia visus, & saucy cogit pectoris conscientia? Sed consilium sobrijs non ebrijs datur. Et ideo apud liberam conscientiam mihi sermo est, cui utrumque integrum est. Habeat saucia remedium, honesta consilium. Tu, inquam, filia, quid moliris? cur heredes extraneos, cum habeas tuos?*

D d d 2

tuos?

Ageruchiam;  
S. August. ep.  
127. ad Iulianam, item ad  
Probam. Fulgent. ad Gal-  
lam ep. 2. Ter-  
tull. de resur-  
rectione car-  
nis.

XVII.

S. Ambros.  
l. de viduis.